



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 18. Bruno Archiepiscopus Trevirensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII.
A.C. 1101.

Anselmus, data epistola respondens, more inter Episcopos solito Valerianum salutatur, & reconciliationem cum Pontifice gratulatur. Deinde transiens ad quæstiones propositas ait; optandum esse, ut Sacramenta in tota Ecclesia Ritu æquali celebrarentur; quando autem diversitas adjunctorum Sacramenti substantiam non destruit, ea prudentius in pace dissimulari, quam commoto scandalo damnari. Hanc autem varietatem inde fuisse profectam, quod homines de his quæ convenient, vel dedeçant, diverse senserint. De more cooperiendi Calicem dicit: *Quamquam JEsus Christus extra Urbem & nudus crucifixus fuit, congruit tamen, Sanctum Sacrificium sub tecto offerri, ut ventorum & pluviarum arceantur injuriæ.* Conveniens quoque esse, quod Calix cooperiatur, ne vel musca vel quæcunque immundities incidat. Denique oportere, ut potius vita & moribus nostris quam hujusmodi Caremoniis JEsu Christi paupertatem, & contemptum tolerantis patientiam imitemur.

§. XVIII.

Bruno Archiepiscopus Trevirensis.

*Hist. Trev.
to. 12. Spicil.
p. 240.*

Egilbertus Archiepiscopus Trevirensis, Schismate involutus, obiit quinta Septembris anno millesimo centesimo primo,

mo, postquam annos viginti duos, men-
 ses octo, & dies tres sedisset; Sedesque
 quatuor ferme menses vacavit. Inter
 complures viros, Clericis Trevirensibus
 adscriptos, atque Episcopatu dignos emi-
 nebat Bruno, in Franconia ex primis Stir-
 pibus ortus, Principibus adeo carus, ut
 eum, simul Præpositura Trevirensi, Spi-
 rensi, S. Florentii Confluentiæ & Archi-
 diaconi officio cumulaverint. Cum Hen-
 ricus Imperator cum tota Aula Mogun-
 tiam ad Festum Natalis Domini, eodem
 anno millesimo centesimo primo, ve-
 nisset, adfuere cives Trevirenses rogan-
 tes, ut ipsis Bruno Archiepiscopus daretur;
 tum Principibus preces suas jun-
 gentibus Imperator ei Investituram cum
 annulo & Peto concessit, jussitque, ut
 consecraretur. Ergo ordinatur in ipsa
 urbe Moguntina, decima tertia Januarii
 anno millesimo centesimo secundo, ab
 Adalberone Metensi, Joanne Spirensi, &
 Richerio Virdunensi, præsentibus Ruthar-
 do Archiepiscopo Moguntino, Friderico
 Coloniensi & pluribus aliis Episcopis.
 Unde sequitur, quod Henricum & Legi-
 timum Imperatorem haberent, & Com-
 munionem Ecclesiasticam dignum arbitra-
 rentur. Bruno in Festo Purificationis
 solemnè pompa Treviros intravit.

§. XIX.

Sæcul. XII.
 A.C. 1101.